Rozprawy
do panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynows. za 5 złt.

Książka dezynfekowana

Po przeglądnięciu
umyć ręce

Carolus Gustavus 17 r) S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 s) Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrik 19 t) Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 u) Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 v) Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 y) S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. z) Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 aa) Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 bb) Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 cc) Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 dd) Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 ee) Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. ff) Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30. gg) Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 hh) Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 ii) Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 kk) Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 ll) Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes orbis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1641. (str. 37)

43. *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44. *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. –

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. P ę k a l s k i Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epic. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. — –

1774. P e t e r e k Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, przez J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. 1) br. — –

1775. P e t r i c i u s Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. –

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 1623. 4to (k. n. 50) br. 3. –

1777. P i a s e c k i Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. 3) br. — –

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracoviae 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johan 8. h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9. i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10. k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11. l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12. m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15. p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

MOGUNTINI LABORES ELECTORALES,

Prævii, & Electorii.

Cassiodor. lib. 3. epist. 19.

Fructuosus debet esse labor publicus.

M. DC. LVII.

Conspectus Praeviorum.

I. Prior honore, potior labore.
II. Primus Moguntini labor ordinarius in ritè acciendis coelectoribus.
III. *Extraordinarius & tædiosior* in cunctantium exspectatione.
IV. *Intentior* contra cunctationis prætextum.
V. *Impensior* contra sequius opinantes de comi Legatorum Galliæ receptu, aliisque agi cæptis.
VI. *Solitus* pro solito Electionis loco, tuto prorsus ac libero.
VII. Alter Moguntini labor in asserenda E.E. securitate in itinere ad locum usque & in loco Electionis.
VIII. Tertius in prævia Electionis privata consultatione de octo magni momenti capitibus, sex hîc prioribus.
IX. *Extraordinarius* de septimo ac præcipuo Electionis prævio, fide ab Austrio Gallo-Svecis reficienda, facienda cum Hispano pace, diversis certata rationibus, orationibus.
X. Quartus labor ordinarius de octavo ac necessario Electionis prævio, Capitulatione & fide Cæsarea.
XI. Quintus in audiendis reliquorum Imperii Statuum monitis Capitulationi inserendis.
XII. Sextus & ultimus labor prævius in concipiendis omnium E.E. assensu acceptis Capitulationis articulis, comprehendendâ certâ jurisjurandi Imperatorii formâ, asserendâ majorum suffragiorum prærogativâ.

*

Præviorum finis laborum, & laborantis.

I.

In administrationibus labor honori adjungitur.
Duplicatur Primo cuique onus in negotiis.
In consilio prima vox difficillima.
In eligendo Romanorum *Imperatore,*
Hodierno præsertim,
ELECTORUM PRIMORI MOGUNTINO,
Cuncta laboriosissima,
A reliquis suffragia feruntur rogata, & meditata,
Laborem Moguntinus primum sumit & ultimum.
Hodiè etiam sæpè extraordinarium.
Totam subit Electoriam servitutis gloriam, servitq; ingratiis,
Primam frangit glaciem, ipse non infractus.
Primus Electorium Collegio inspirat spiritum,
Idem eodem exuberans & exundans ad stationum cetera;
Quarum nunc Ordinem Ordine simplici percensere lubet,
Sine in quemquam studio, odio,
Quorum caussas procul habeo,
Totus pro Imperio
Totus pro Pace Imperii.

II.

Primus nec tenuis *labor* & sumtus, nec minor industria,
Electoris *MOGVNTINI,* Imperii Principis,
In acciendis,
Jure antiquo, sponte suâ, citra Pontificis consensum,
COELECTORIBVS,
Imperii Principibus, togatis & sagatis, omnibus & singulis.
Ne unus omissus totum infirmet Electionis actum.
Scripto,
Quod est honoratius & operosius,
Publico *in cujusvis honorem diplomate,*

Nomen accientis, acciti, caussam, locum, diem referente,
Deferendo,
Non sine comite viatico,
Exquisitos *per idoneos* ad quemvis *nuncios;*
Pactum *intra trimestre,*
Tempus legale à Moguntino nec arctandum, nec prolatandum.
(Prolatatum hactenus aliorum morâ)
Veniendi Francofurtum ad Mœnum,
Locum Electionis legitimum, nec nisi fontica causâ, & extremi necessitate periculi mutandum.
Vel per se, vel per idoneos Legatos.
Grave semper onus arcessendi Electores,
IMPERATORE,
(Lothario quondam ac Carolo V.)
Vel abdicante Imperium, vel abdicato Imperatori Imperio
(Wenceslao olim Bohemo, Caroli IV. F.)
Utrobique,
(Nota est Paulum IV. inter & Ferdinandum I. contentio)
Jus *Pontifice* suum;
Recipiendi abdicationem, exauctorandi abdicandum,
Obveriente,
Liberæ Electorum facultati,
Ut eligendi, ita abdicandi, abdicationem suscipiendi.
Ad eus pertinet destitutio, ad quos institutio.
Vel vivente eodem & imperium retinente,
(Ludovico quondam Bavaro, Carolo IV. Ferdinando I. Rudolpho I. Ferdinando II. Ferdinando III.
Alii destinandum,
Non nisi extraordinario Electorum vocatu, vivi Imp. consensu,
Et ex caussa invalidi vel Imperatoris vel Imperii.
Secus *Dominorum multitudo noxia imperio.*
Gravissimum verò, ut nunc quidem Moguntino,
Imperatore Ferdinando p. m. III. fato functo;
Hâc Imperii facie, domi & foris luctuosâ, periculosâ,
Dubiæ Pacis trepidâ
Non armis modo finitimorum undiquaque horridâ
Sed suorum quoque Principum intus & extra fines.

Ipsâ jam omni ab latere flammata bello inferiori Germania,
Propera occasione partes flammatura alias,
Ni properè exstinguantur incendia.
Præterea
Ipsis Electoribus varie affectis.
Uno ac inter seculares præcipuo, ætatis nondum electoriæ,
Bellicæ præterea contra Gallo-Svecos Polono-Danicæ societati innexo;
Altero saxum inter & sacrum stante,
Validos inter & impotentes falso quiescente, difficulter movente;
Duobus aliis de pristina dignitate altercantibus,
Reliquis suspensis, divisis,
Animo, adventu, voto, artibus, partibus.
Hos accire, audire,
Neutrius honore, commodo, læsis; omnium temperatis,
Artis est difficillimæ.
Hujus quanquam quandam ferat partem ministerium;
Tota tamen *ad auctorem & Electorem cura est referenda.*
III.
Auget
Vocandi laborem, exspectandi tædium, impendendi modum,
Electorum cunctatio veniendi Electoralia ad Comitia.
Ac alioquin,
Desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas vel necessitas acuit.
Fuerit ipse Moguntinus acciendorum negligentior;
Mox forte Palatinus Rheni priscum acciendi jus suum,
Ipsivè Electores sponte sua, quasi acciti, Electionem
Properarint.
Quia dies interpellat pro homine.
Nunc omnibus rite vocatis,
Solus ex vicinis & longinquis Moguntinus
Adest, mantat, durat:
Sustinet
Gemina impendia, tot influentia negotia,
Ut careat Imperium Imperatore,
Reliqui Coelectores domi agunt;
Suarum interjectu litium & literarum,

 Negotium

Negotium hîc Electorium,
Agenda hîc & Agentes,
Exterorum Legatos, & Imperii Deputatos,
Veluti celebrandæ Electionis obices,
Adversantes;
Versantes
Moguntinam novorum *rotam laborum.*

IV.

Fuit quidem jure quondam communi,
Quod veteres tradunt annales,
Penes omnem Imperio subjectum populum;
Electio,
Conradi I. Heinrici I. Ottonis I. Ottonis III.
Penes totius deinde regni Principes à Moguntino tùm primò vocatos,
Rudolphi I. in locum Heinrici IV. abrogati *subrogatio.*
Imperaturus omnibus eligi potest ab omnibus.
Post
Antiquâ vel consuetudine, vel *constitutione Ottonis* III.
Aureâ tandem *Caroli IV. Bullâ,*
Penes Serenissimum Septemviratum,
Nuperâ *Pacis sanctione,*
Penes Electorium Octoviratum,
Electio Ferdinandi p. m. IV.
Denique
Octavo ejusdem *Pacis articulo* verè aureo,
Imperii Ordinibus auro non contrâ,
Ex communi statuum consensu,
De Electione Roman. Regum, certa constantiq; Cæsar. Capitulatione,
Concipienda,
In Comitiis agi, statuiq; concessum, in Ratisbonensibus cæptum.
Quod igitur semel placuit, amplius displicere non potest.
Nec quisquam dolo facere videtur, qui jure suo utitur.
Salus S. R. I. in publicâ sitâ securitate;
De utrâque servanda nunc conferenda consilia,
Paci anxiis partæ laboribus, jam nutanti, protendendæ manus,
Junctâ utriusque collegii operâ, opere, labore,

Rectè

Rectè huc adeò,
Nec veteres contra nec novas Imperij leges,
Vocatum Electorale Collegium collectum ubi jam erat Deputatorum,
Necessarium ac utile
Quibusdam de utroq; d. capite monendis,
Communi simul ope utcunq; expediundis exterorum postulatis,
Parandis contra finitimorum motus auxilijs,
Danicos potissimum;
Quibus,
Teste *feciali armatæ jure Daniæ*,
Ex eodem pace sopito bello
Lacessita
Svecica in Imperio provincia, ipsum simul Imperium,
Indè obligatum,
Ipsa ex Pacis jurata fide,
Audiendi, & quâ possit, leniendi,
Svecicam adversus turbatorem Danum,
Gallicam simul adversus Austrium,
Querelam,
Utramq; rectè huc relatam
Ad imperialem servandæ Pacis ac securitatis veluti custodem conventum,
Tantùm non comitialem;
Ex celeberrimis EE. ac PP. deputatis, nunc longè numerosioribus, compositum,
Imperij quoq; Civitatum:
E quibus spectabiles Coloniæ & Noribergæ, civitatum antiquitùs deputatarum, delegati,
Nequaquam revocandi,
Nunc soli omnium faciem, autoritatem, corpus opusq; referunt,
Intempestivè, quamvis propè, absentibus, mox præsentibus,
Civitatis Argentoratensis, & Ratisbonensis, deputatis.
Quod si fortunatus iste Deputatorum conventus jam huc non esset accitus,
Hæc propter tanta fuisset acciendus negotia,
Tam longè abest, ut dissolvi debeat,
Tanquàm evolvendus iisdem;
Quorum onus,

 In

In quo de salute totius Imperii agitur,
Ipis Electoribus palàm fatentibus,
Neq; per prudentiam, neq; jure per pacta Monasteriensia,
A se solis suscipiendum.
Neq; etiam, ut nunc est, utile Imperio,
Eundem ipso ab Imp. pan. constitutum, post ab EE. prolatatum,
Aut dimoveri, aut de dimovendo cum PP. Imperii multum disceptari,
Ad partes pacisq; sponsores fortè lapsuris,
Aut, illo dimoto, ab Electorali ollegio cautionem exacturis,
De damno Imperii inde emersuro:
Quibus velut jus *ac fas vota ferendi,*
Ut *de justitiæ,* ita *securitatis ratione* modoq;.
Utrumq; itaq; hîc cavendum,
Ne quid ex Deputatorum absentia damni Imperio accidat,
Et,
Ne quid ex eorundem præsentia Electorio jure decedat.
Illud,
Curatâ communi Ordinum consensu securitate;
Hoc,
Non admissâ ullâ re,
Quæ vel mediocri usu nisuvè Electionis libertatem, locum, diem contingat.
Neq; quoq;,
Quæ quasi cæpto Electorio die, utroq; jam in collegio deliberata,
In posterum quasi consortium, proximumve Electionis diem trahenda.
Quippè
Semper penes, Electores ut Electionis, ita Deputationis accire conventum,
Nunquam ab illis unâ unum in locum inposterum acciendum.
Et sanè,
Nullus ab eodem metuendus ambitus,
Nec clàm nec palàm,
Intercedendæ Electionis.
Relicto Electoribus integro conveniendi, eligendi arbitrio,
Ipsoq; in Electionis limine,
Ipsis Galliæ & Sveciæ Legatis, Imperij Deputatis inde secessuris,
Tollendæ ulteriori Electionis contationi,

V. Christia-

V.

Christianissimi ac Potentissimi Galliarum Regis,
Honoratissima illustrium Legatorum admissio,
Plurimis secus, quàm par est, persvasis illustrior, quàm justior visa,
Nonnullis invisa,
Moguntinum
Geminis laborum labyrinthis,
Francofurtum,
Legalibus imperialium pœnarum minis
Objectavit,
Utrumq; difficulter veluti eluctabundum,
Eluctatum jam,
Hoc *præstabilis* subsidio *scientiæ*,
Antiqua gente Fecialium collegio tradita,
Et hodie solitæ,
De his talibus ritè judicandi,
Illæso Aureæ Bullæ constituto.
Legatis illa receptis suffragatur in hunc modum.
Receptis duntaxat *in loco imperialis concionis*, quàm Electionis,
Inter imperii cœtum, quàm Senatum.
Inaccessum alijs
Sacrum Francofurti conclave Romanum Romano patet Senatui,
Francofurtum in præsens, & *ante Electionis actum*, *omnibus*,
Etiam exteris,
Exteris maximè amicis, & quibus cum Pax est imperio,
Et ex Pace & amicitia *jus hospitii, colloquii*,
Regis Galliæ Legatis.
Laudato Romanorum more,
Exteros,
Benè de Romano Imperio meritos, ac pacem cum eo colentes,
Honoro nomine
Amicos compellantium ac Socios,
Eosdem donantium hospitio.
Debitum benevolentiæ, indicium observantiæ fuit,
Eadem ex pace & amicitiâ natum,
Tantæ dignationis Legatis,
Tàm splendido circumdatis comitatu,

Jussu tanti Regis,
Ad congressus & colloquij commercium,
Venientibus,
Præcipuo civitatis Francofurtensis flore ac decore,
Occurrere,
Eosdem comi festivitate in urbem deducere;
Sanè
Quod quis ex dignitate, aut comitate, imò necessitate facit, non peccat.
Olim,
Magnifica decreta ab Atheniensibus facta,
De occursu & acceptione exterorum amicorum Regum.
Neq; verò,
Ut quibusdam, (malignè an perperam) visum,
Hoc omnium gentium, comitatis & amicitiæ, ac Pacis jus,
Amicis debitum exteris,
Constituto Aureæ Bullæ sublatum,
Saltim limitatum.
Illud scilicet,
Præter Principes Electores ritè stipatos,
Neminem admittit in urbem, præcipit antea admissis exitum,
Durante Electionis actu.
Illo aut nondum inchoato, aut jam ritè perfecto ac publicato,
Francofurtum jure communi patet omnibus;
Citra proscriptionis malum;
Nullis sanè prius intromissis,
Quibus, quæsò, monitu ac sonitu Campanæ publico, exire jussis?
Quin imò,
Rigida hæc aliorum seclusio,
Ante Auream Bullam insolita, nec solita semper post illam,
In Electione
Wenceslai, Ruperti, Maximil. I. Ferdin. I. Maxim. II. Rudolph. II.
Et in nuperâ Ferdin. IV. Electione Augustæ Vindel celerata,
Hispaniæ Legatus, pace seclusus Germaniæ,
Horas à cœpto Electionis sacro penè duas ibi commoratus.
Præterea,
Alia hodiè sunt tempora, alij Reges, leges quasi aliæ.

Negatus quondam *Francisci I. Legatis* accessus ad Electionis locum,
At Caroli V. *inimici*, Imperij æmuli.
Datus hodie illustrissimis *Ludovici XIV. Legatis*,
At *Regis, imperij amici, Pacis arbitri*, ac *procuratoris*,
Defensoris,
Pene Germani, Germaniæ portas insidentis.
Iisdem Salutatis
Ab ipsius Austriæ legatis,
Invitatis,
Eodem Comitatis jure ac hospitij,
Ab Electorum præcipuo ac præsente Moguntino,
Ad epulandum,
Sic Augusti Imp. Legatus in Syriam olim missus,
Apud Parthorum Regem, Rex apud Legatum,
Epulatus.
Eorundem porrò colloquium de Regis sui postulatis,
Prolatis linguâ Romanâ, Romani honore Imperij,
De implendo Pacis ac datæ jurato fidei fœdere,
Favoris plenissimum, odii contra illud,
De eodem quasi rupto quadatenus aut ulterius rumpendo:
Illud gratanter audiendum, hoc festinanter avertendum,
Bono tranquillitatis publico.
At verò gloriosum,
Moguntino, ceterisq; Imperij Deputatis,
Animadvertendi Gallorum postulata,
Prævertendi Imperij mala.
Quin etiam
Hæ Electionis tardatæ intercapedines, hæc temporum intervalla,
Meliori non impendenda negotio.
Quam Paci Reges inter dissidentes exasciandæ,
Sancitæ in Imperio servandæ,
At posteros usq; proferendæ,
Promovendæq; unâ, non impediendæ, Electioni,
Huc PP. EE. reliqui, togati ac sagati adferant Consilia,
Sana, generosa, communia.
Non minus intendant impensius,

B Omniq;

Omniq; quo possint, modo,
Pacem servare illæsam, asseverare fidei gravitatem,
Antè cogitare tranquillitatem Imperij, quàm Imperatoris Electionem,
Bella Germaniæ limitibus, lateribus, visceribus, proceribus, imminentia,
Quàm maturrimo ante vertere remedio.
Neq; enim haberi posse, certum habeo,
Sine sollicito EE. interventu pacem firmam,
Sine pace res Imperij tranquillas,
Sine Imperij tranquillitate Capitulationem securam,
Sine secura Capitulatione Electionem utilem;
Regemvè Galliæ,
(Justè ex Austriacorum ope Hispanis latâ querulum;)
Placatum, quamprimum placandum;
Sine Imperij salute nequaquam posthabendum,
Certum,
Ni promtum adferatur remedium,
Lege, & ratione, invalidâ,
Validis armis, alijsq; commodis mediorum adminiculis,
Suam tuendi caussam, & omnia,
Vel non omissa, vel commissa,
Utraq; à domo Austriaca, pacem contra cum illo initam.
Unde
Novis Germaniam motibus rursus iri involutum, agitatum,
Præsens est periculum.
Cui,
Quocunq; EE. modo, quibus possint cunq; viribus,
Animi, corporis,
(Utq; quemquam Electorũ impellit publicum munus, patriæ amor & bonũ,)
Malo occurrere tanto,
Rogari ne sustineant,
Sponte studeant,
Præcipuè,
Secularium alter Electorum præcipuus Dux Bavariæ,
Ad pacifici exemplum parentis,
In custodiendæ pacis amore morientis,
Sua prius per Pacem proferentis,
Nunc non exponenda dubiæ Martis aleæ, conservanda consilio benè expensæ
Electionis, Ante-

Antevertenda amittendorum pericula,
Nascitura ex belli caussis, ex læsa fide, inde ex querela Regis Galliæ nascituris,
Justa de caussâ semel atq; iterum obtestantis,
Hæc & illa, hic & illic contra juratæ Pacis pacta fuisse patrata,
In regni incommodum sui hostis commodum.
Non immeritò exprobrantis fortè Senatui Germano,
Ut Theodoricus olim Rex Romano,
Bona Pacis, quæ Deo propitio, nostro labore meruistis,
Cur factionibus fœdantur illicitis?
De hoc egregio Moguntini studio
Comiter observandi, demerendi Legatos Galliæ,
Dissidentes, quantum possit, pacandi Reges,
Reparandi læsam, servandi reparatam Gallo fidem,
Sveco Bremefordam publica pace datam,
Qui præsentia speculantur, *opinantur sequius*, æquius, qui futura.
Par de pacifico Galliæ Regis studio judicium,
Seriò quærentis Pacem,
Sed sinceram, communem, universam,
Ipsi Nuncio Papæ primario Pacis parario,
Egregijs testatam Orationibus & Oratoribus
Splendidissimo non minus Pacis, quàm legationis comitatu
Huc missis,
Tanquam ad communem omnium Imperij Ordinum conventum,
Suâ non indignum Majestate,
Imperatore quanquam destitutum, Electoribus quasi Regibus conspicuum,
Eâ animi potissimum intentione,
Nullam in læsæ fidei obtestatione, ejusdem reparandæ studio, Pacis desiderio,
Omittendi momentum,
Omissum exiguum, sibi maximum, cunctis exitiosum futurum.
Undè,
Qui rerum articulos & tempora novit,
Sua postulata, favorabile suum Pacis negotium,
Ad congruum hunc locum, tempus, conventum,
Qui totam Imperium, quasi Imperatorem, refert,
Benè ac sapienter retulit,
Hac novissimâ spe,

 Obtinendi

Obtinendi firmam fidem, securam pacem, communem tranquillitatem,
Medijs Imperij Ordinibus,
Qui,
Sicut bellis nunc vertentibus se non immiscere tenentur,
Ita nec Christianos Reges patientur bellare in perpetuum.
Pio, bono *S. Ludovici exemplo,*
Reges non passi bellare vicinos,
Ne odio in ipsum concepto & ipsum aliquando incursarent,
Malum ipsius regno inferrent,
Ipse in se Dei iram accerseret:
Cum DEUS dicat benedictos,
Qui omni ope & operâ discordantes revocant,
Ad Pacem, & concordiam.
Hic Hispanus,
Qui vel suâ absentiâ, vel contatione, aliâve tergiversatione rem moratur,
Sibi invidiam, belli caussam, Gallo contrà conciliabit ipse,
Caussæ justitiam, Pacis famam, hominum favorem;
Pro quo, pacis cupitore, defensore, in posterum cuncta;
Omnia & omnes contra illum, veluti belli flabellum:
Et contra eos,
Qui hodie,
Pacandis nondum Pacatis Regibus,
Eligendum approperant Imperatorem.
At quibus legum vinculis,
Quâ constringendum fide?
Satis firmâ læsis jam minusq; credulis,
Galliæ & Sveciæ Regibus,
Fortissimis, injuriarum insolentibus, ultioni promtis.
Novanè & vanâ irritandis denuò capitulatione,
Priori nondum plenè exsoluta?
Imò ante omnia redintegrata leniendis fide.
Honestum ac utile hoc consilium, quàm peractum, citius reprehensum:
Id quod omninò iniquum, sed usu receptum:
Hinc eadem plerunq; facta,
Modo diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris,
Nomen accipiunt,

Prout

Prout benè aut malè cedunt.
Verùm,
Majori animo honestatis fructus in conscientia, quàm in fama, reponendus.
Rectiq́; facti, non ex aliorum sermone merces, sed ex facto petenda.
Porrò,
Electorum ceteri absentes,
Longinquiores ad Albim ac Danubium, procul Galliæ finibus, tutiores,
Intutiores ad Rhenum ac Mosellam, Galliæ propiores,
E Domo prospectant Moguntini labores cum exteris:
Veluti spectatores fabulæ actoribus plerunque sapientiores quasi.
Qui extra ictum sedent, docent gladiatores ictus inferendos & excipiendos;
Ipsi si in arenâ depugnarent, vix tecto discederent latere.
Adeò,
Rectè omnes cum valemus, ægrotis consilia damus,
Qui si isto essent loco, aliter sentirent.
Plerique procul periculo feroces, in periculo pavidi.
Hoc in Imperii, Electionis, Finitimorum, *sæviente pelago,*
Solus *Moguntinus* ille est *gubernator* solers,
Qui scit omni navigare vento.
VI.
Instantior Moguntino cura tuendi solitum Electionis locum,
Non mutandum,
Nisi quâdam, cui humanitus obsisti nequeat, vi majori,
Pestis & Hostis,
Francofurtum ad Mœnum utroq; nunc liberum.
Olim quidem Moguntiam acciti, ibidemque electi,
Heinricus II. Rudolphus I. Lotharius II. Adolphus,
Albertus, Heinricus VII. Ludovicus Bavar. Carolus V.
Aquisgrani Heinricus III. IV. Triburiæ V. Coloniæ.
Locus quippe est extra naturam Electionis,
Certus quanquam à Carolo IV. destinatus,
Sed nec ab ipso observatus:
Sed & ipsius electio, alibi facta, habita irrita,
Ferdinandi impugnata:
Saxo E. alibi, quàm Francofurtum accitus, non comparuit.
Sanè

Locus solitus aliquid momenti habet,
Vt in delictis puniendis, ita in conferenda dignitate.
Consilium certo loco subeundum, alio habitum, ipso jure nullum.
Hîc, nunc ut cum maximè, ubi res non amplius est integra;
Quò,
Honoro quisq; diplomate jam arcessitus, & affectus,
Venire tenetur:
Post assensum dissentire nefas,
Testatum factum,
Vel literis, vel hinc missis mandatariis:
Diplomata quoque vetera hinc inde missa nec refigi, nova nec figi po[...]
Sine dedecore ac impendio novò Moguntini,
Sine sonticâ causâ,
Hîc nullâ
In Galliæ Legatis, Imperii Deputatis,
Advenis amicis, indigenis Germanis;
Quibus nunc Francofurtum insessum,
(Nullâ peste hoste nullo;)
Inde recessuris, Electoribus conclave ingressuris,
Et in incude Electionis occupatis,
Quantum ad ipsos,
(*Qui ad sua, quæ hic agenda sunt, quietâ cum industriâ adsunt;*)
Tutæ prorsus & liberæ hîc æquè ac alibi;
Gallis nihil contra peractam modò ad A.B. normam molientibus
Ac ne cogitantibus quidem:
Nisi liberæ faverent Galli Electioni,
Alibi quàm hîc æquè eidem intercedere possent,
Qui hodiè pontem Brisaci, portam Philipburgi apertam haben[t]
Ad patulam ubiq; Germaniam, ad quos [...]s casus,
Auctis simul in transitu viribus, tractis in partes vicinis PP.
Paucis ipsos adorturis, non paucis ipsos fortè adoraturis.
VII.
Altera Moguntini *occupatio*,
Ad diversos missis Imperii Principes ac status edictis,
Quorum per fines Electoribus transeundum,
Eorum *profectionibus*

Adversus intuta itinerum providendi,
Ad locum Electionis usq;
Hæc *præstanda ipsis securitas,*
Ad præscriptum *A.B. modum,*
isi pœnam perjurii, proscriptionis malum, jacturâ privilegiorũ subire velint,
Ex reverentia,
Quam Principes Imperii *Imperio debent,*
Non ex jure territoriali, quanquam non sine eo,
Quod Principibus Imperii debetur,
Vicinos inter ipsos litigiosum,
Mercatoribus onerosum & fructuosum.
Amplius,
Nè quid præsentibus in loco intutum occurrat & adversum
Alia Moguntini *est providentia,*
Adigentis S P Q F. juramento,
Omni Protegendi studio ac curâ,
Durante Electionis consilio,
EE. Omnes & singulos, alium contra alium fortè tumentem, & turbantem,
Eosque, qui circa ipsos sunt;
Admittendi in urbem,
Præter certum EE. comitatum, eorumve legatos,
Neminem quemcunque,
Dimittendi admissos,
Portas ritè custodiendi,
Recipiendi dimissos,
Peracto Electionis sacro.
Indictâ secus facienti pœnâ
Perjurii, privilegiorum damni, banni Imperialis.
Hoc juramentum à dicto S P Q F. semper præstandum,
Ante curiam
Et quidem Electoribus,
ve *jam accinctis ad Electionem*, sive adhuc *de Capitulatione* consultantibus,
dissentientibus.
Vacante, vel non vacante Imperio, alii destinando,
Vivo adhuc Imperatore,
Debitum quippe Electoribus, non Imperatori,
Eorum securitati, non Imperatoris dignitati,

Unde

Unde,
Tempore destinandi Regis Romani Maximil. II.
Supplici S. P. Q. F.
Quasi juratò jam obligato Imperatori Ferdin. I. vivo adhuc,
Non remissum, renuenti inditum & jussum.
Sic adeò
Fluxâ hodiè hominum, etiam Germanorum, fide,
Juramentum cujusque rei munimentum.
Priscis contra seculis,
Quando *nulli mortalium fide ante Germanos erant*,
Data dextra, viri boni verbum, pro juramento erat.
Edepol,
Iam is, à quo jusjurandum exigitur, perfidiæ est suspectus.
Sed &,
Is frustra se alterius fide succingit, qui septus charitate non est.
Civium charitas, fidissima custodia, arx inaccessa.
Inexpugnabile munimentum, munimento non egere.
IIX.
Aqua aquàm trudit, labor laborem.
Prospectum securitati hactenus loci, prospiciendum nunc Consilii loco.
Ipsique indicendo pariter Consilio;
Eò vocatis tantum EE. præsentibus quidem,
Ejusdem *provisu Moguntini*,
Gratantis primò de eorum adventu cunctis,
Commendantis simul ijsdem prævia privatim consultandi capita.
Primum,
De audiendis nomen apud ipsum professis suum
Justo vel quasi impedimento *absentium legatis*,
Literis eorum *fiduciariis, procuratoriis, inspiciendis*,
Vtrisque necne idoneis,
Plenâ ne ac *liberâ potestate munitis*,
Eligendi Imperatorem,
Annè hunc, non illum, aut *saltim quendam?*
Quondam sanè,
Ità tradunt pleriq; eorum temporum scriptores,
Waldemari Marchionis Brandenburgici E. legatus,

Mand

Mandato eligendi Fridericum Austrium neglecto,
Electo à se Bavaro,
Carceri destinatus & morti,
Fines velut egressus mandati,
Non Aureæ fortè Bullæ;
Vi cujus,
E. Saxoniæ Legatus,
Limitato Domini sui mandato ab Electoribus rejecto,
Quoddam dantaxat, & generale adferre jussus.
Secundum,
De Electoralium Consiliariorum, Legatorumvè,
At non alterius servitio, feudi vel stipendij nexu, obnoxiorum,
Illorum olim *quaternario*, horum *binario numero*,
(Ne, admissis pluribus, secreta Consilii facilius prodantur,)
Acciendo ad Consilium, & juramentum,
Data Moguntino, omnium nomine, dextrâ fideque
(Quâ suis ante obligati Dominis,)
Cuncta actorum secreto custodiendi silentio.
Tertium,
Electione ultra legitimum non dilatâ tempus,
De die conveniendi ad conclave *deligendo*,
Nudâ se inter conventione.
Electione verò ultra, ut nunc, prolatatâ diem,
Novâ citatione,
Electorum ipso quanquam in loco præsentium,
Novâ publico coram teste obtestatione,
Instrumento inserendâ,
Conservando legitimum intra tempus Electionis juri:
Novo die Imperatori eligendo delecto,
Cunctis ritè publicando,
Illa die, illa æde S. Bartholomæi maturè *conveniendi*.
Quartum,
De perdendo *Electoris* suffragio,
Absentis, nec idoneo *repræsentati* legato;
Aut *præsentis, &* actu Electionis nondum peracto, *recedentis*,

Ne nimius absentia, aut contumacia negotium tardet.
De subeundo Electionis statu tali,
Qualem tardius accedens Elector, Legatusve *invenit.*
Quintum,
De remanendo penes pauciores præsentes, & idoneos,
Quatuor, tres, duos, unum,
(Pluribus eorum vel absentibus, vel inidoneis, vel fato functis)
Iure Collegii & Electionis,
Minus quanquam decoræ, minus legitimæ, at necessariæ,
(*Ne quid Respubl. damni ex illorum caussa patiatur,*)
Ut in Electione Guntheri, Ruperti, Alberti,
Iste licet,
Trevero, Palatino, absentibus,
Quasi minus ritè electus eligi denuò voluit;
Sequendam Aureæ Bullæ ratus *legem,*
Id, quod semper tutissimum est.
Sextum,
De extimis quibuscunq; electorii limine loci eliminandis,
Imperialibus æquè ac aliis non electoriis,
Quanquam,
Principes quondam ac Legati eligendos, Maximil. II. Rudolphum II. co[
In urbe tolerati,
At ipso ab Imperatore cauto EE. jure.
IX.
Septimum,
(Quod quasi extra ordinem heic monendum.)
De unico Capitulationis ac Electionis prævio necessario,
Principibus Electoribus summoperè animadvertendo,
Scilicet,
Pace nisi dissidentes inter Reges componendâ,
Fide saltim & amicitiâ cum Galliæ & Sveciæ Regibus redintegrand[
Ante negotio parumper habenda Electorio.
Quo de Consultationis apice,
Moguntinus Elector,
Minimè pro se securior, nunquam pro Imperio sollicitior,
Libero, at modestioris oris, Oratore, amatore Pacis & Imperi[

Referre ad Senatum Electorium hunc in modum jussit.

Vobis, PP. EE. compertum,
Quàm sumtuosis Europæ laboribus,
Quibus omnium liberis Ordinum votis,
Quot millium Christianorum suspiriis,
Quibus firmæ fidei, securitatisq; clausulis,
Quibuscunq; remotis exceptionum, distinctionum obstaculis,
Omnique alio meliori modo,
PAX IN IMPERIO,
Cum Galliæ ac Sveciæ Regibus,
Sancita, conclusa, munita sit;
Perpetua lex ac pragmatica sanctio,
Ipsi inserenda Capitulationi mox scribenda.
At quâ, quæso fidei in posterum firmitudine,
In præsens jam, ut ajunt, læsæ, nedum reparatæ?
Aut ergo ante omnia illa *fides* & amicitia *resarcienda,*
Aut cum belli metu Electio est *præcipienda,*
Aut cum sublestioris *fidei metu Capitulatio concipienda.*
Hæc nunc *ea sola ac* gravis *est deliberatio.*
Fides, læsæq; redintegratio, an *Pax placeat.*
Fidem, læsæq; redintegrationem intelligite juratò pactam utramque.
1 Fidem,
Ne alter alterius hostes præsentes, aut futuros,
Ullo unquàm titulo, vel prætextu, vel ullius controversiæ, bellive ratione,
Contra alterum,
Armis, pecuniâ, milite, commeatu, aliterve juvet: &c.
Ne bellis inter Reges nunc vertentibus Imperator,
Ullusve Imperii status se immisceat.
2 Læsæ redintegrationem talem;
Quâ teneantur omnes & singuli hujus transactionis consortes,
Decursu triennalis termini,
(Ob periculum in mora fortè anticipandi:)
Junctis cum parte læsa consiliis, viribusque, arma ferre,
Ad repellendam injuriam à passis moniti.
Unde,
Sabaudiæ & Mutinæ Ducibus,
Pro Rege Christianissimo in Italia bellum hactenus gestum,

Porrotenus gerendum
Nullum unquam afferat præjudicium.
Pacem deniq; talem,
Quâ ingens redimatur bellum, tantùm non internicinum,
Germaniæ,
In partes rediture,
In clades ruituræ.
Pars cujus una pro pace semel læsa, penitus exstinguenda,
Altera pro eadem redintegranda, conservanda, perpetuanda,
Diversis sub signis,
Concursura, armis decertatura sit,
Quis tum Imperii Ordinum ordo?
Quæ misera Germaniæ facies?
Quod atrox partium certamen?
Quæ Austriæ utilitas, bellivè finis?
Vincere, suavè servare, auctitare, dubium;
Semel ac iterum conficere hostem, incertum;
Certissimum paucas, aut nullas facere provincias:
Quas quæsò, quovè modo, commodo?
Rhenanas? incassùm.
Gallicas? difficiliùs.
Svecicas? inutiliter.
Pomeranas? damnosiùs.
Mare Balthicum? impotentiùs.
Cuncta hæc oppugnantibus iniquiora, æquiora defensantibus,
Gallis, Svecis, Germanis, Anglis, Balthicis;
Ipsis etiam Batavis, Danisque in partes cessuris,
Quibus ibi lucrantibus suspectus & invisus,
Tantus dominans Dominus Maris Balthici,
Contrà,
Galliæ & Sveciæ Regibus pronæ ferè provinciæ;
Quas ipsi facilius facere, & obtinere possunt;
Et iterum obtentas, quàm antea, tenebunt tenaciùs,
Vana est *Opinantium* securitas,
Galliæ Regem,
Bellis aliis in Italia, Flandria, aliis pro Lusitano,

Catalano,

Catalano, Sveco, implexum,
Non suffecturum tertio in Germania,
Immemorum planè,
Quot nuperâ tempestate *parens ejus p.m.* bella,
Unâ octo vice diversis in locis gesserit, confecerit,
Semper Victor;
Nunc par parenti belloq; Filius,
LUDOVICUS XIV.
Ingens animi, primæ ætatis, ac summæ potentiæ Rex,
Tribus potentissimis belli nervis,
Fido magni *consilio* Ministri,
Copia simul ac *pecunia* militari,
Circumdatus,
Prosperitatis securus, seditione vacuus;
Domi gratiosus, foris formidolosus;
Quin etiam,
Flandriâ à belli socijs insessâ Anglis,
Multò in posterum liberior
Reliquum exercitus sui robur & novos conscriptos circumlaturus undiq;,
Non sine Imperij, ni maturè caveatur, contagione.
Socij Sveciæ Regis par est virtus & fortuna,
Superioribus & hodiernis cognita bellis,
In Germania, Dania, Polonia,
Ope quidem, quàm opibus, major,
Militia nulli secundus.
Deliberate nunc,
Utrum Imperio honestius, facilius, utilius,
Læsam reparare fidem, an contra fidem reparare bellum;
Mox patebit, utrum prius agendum,
Reparatio, an Electio.
Indecorum videtur tot Germanorum Principum decoribus,
Electionem, ante fidei pacisq; curam, curare.
Fides potiùs restauranda;
Ne Pacis vinculum solvatur;
Sanctum utrumq; ac honestum.
Tanta tamq; præclara res est in omnibus,

 Regibus

Regibus præcipuè pace & amicitiâ coalitis,
Quorum fides pro juramento valet,
Religionis & fidei observantes esse, & deberi:
Cum Eumene paratos,
Vitam, quàm fidem, ponendi potius;
Cum Augusto dicendi,
Bonæ fidei sum.
Sanè,
Nunquam major spes, quàm in bonorum Principum sponsione.
Nec major Germanorum laus,
Antiquissimis etiam celebrata temporibus,
Nullos mortalium fide ante Germanos esse.
Præterea,
Omnis fidei, fœderis, pacis, promissio, conventio,
Cui inest contractus, & jusjurandum,
Strictam & obstrictam utrinq; habet interpretationem,
Vim maximam,
Nullis elidendam strophis, nullis eludendam tricis,
Veluti ceremoniam ad decus famæ, quàm fidei robur adhibitam.
Mens excitari jure jurando solet,
Ut bina diligenter evitet mala;
Culpari amicis, & Deum offendere.
Semper imminet talibus pœna gravis.
Clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties infido pectore jurant.
Sæpè vel posteritas Majorum delicta luit.
Hæc vastant stirpemq; domumq;:
Velim sim falsus aruspex;
Verùm,
Ita nos docuére pagani,
In fœderibus, fide summæ Potestatis factis,
Populum totum iræ obstringi divinæ,
Si minus stetur promissis & juratis
Cogitent hæc, qui diversa Regibus suadent,
Ipsis noxia suasoribus.
Porrò,

Nullâ gravi illecto necessitate lædendi,
Facile fuisset non lædere, *pace vetita omittere:*
Panici persvasio metus & suspicio, Italici tuitio feudi,
Cujus possessor primus fuit aggressor,
Tanti, ut multis visum, *non fuit*,
Tale quid in pacem committere,
Commissa verò corrigere æquè facilè, honestum utile:
Revocatas, quàm vi repulsas, ex Italia, Flandria, Polonia, copias,
Ad quosvis casus, sua tuenda, quàm aliena invadenda
Habere paratas,
Hoc maximè Electionis ambiguo,
In dubio finitimorum, Cosaccorum, Turcarum metu ac motu.
Hoc afflictæ lætissimum Germaniæ,
Habere Imperij Principem, Archi-Ducem, Electorem,
Qui non habet hostes intus & extra Germaniam:
Hoc ipsi fructuosum Germaniæ,
Exteros *fide*, finitimos *amicitiâ*, omnes *lubentia*,
Ambire,
Uno horum defecto, nec refecto,
Tolletur id,
Quod inter Imperij Principes Electores est præcipuum,
Sanctissimum Germaniæ bonum;
Pax, Capitulatio, Electio.
Quæ tantò sincerius EE. vacantis Imperij curatores,
Curare debent,
Quantò ceteris Imperio, Paci, Capitulationi, Electioni sunt obstrictiores.
Quid juvat *approperare Electionem*, & unâ ejus pedissequam, discordiam?
Imperatorem quemcunq; etiam,
Nondum restauratâ læsis fide?
At, si læsæ accusatum?
A læsis lacessendum, ab eligentibus jure non defendendum.
Forsan alium?
Ex pacis obstrictum præscripto factam vindicare injuriam paci;
Hanc ulturum ab illo, omissurum ab istis,
Simul à reliquis Imperij Ordinibus,
Affligendum.

Expendenda hæc *perpendentibus* propono,

Deliberantibus de fidei redintegratione, Capitulatione, Electione,

Medio fine finem ad ultimum,

Pacis tutelam, *Imperij tranquillitatem*,

Vel, quæ vicem obtinet boni, *mali declinationem*,

Evitandum Bellum.

Nunc,

Quæ huc, illucve ducant,

Factâ inter se comparatione,

Dispiciendum.

Fidei redintegratio, Capitulatio, Electio, *quodlibet in se bonum est.*

Imperij *quies*, vel *inquies*, *bonum ac malum inæquale est*,

Et *inæqualis trium priorum efficacia ad bonum & malum:*

Majus malum inquies, quàm requies bonum.

Capitulatio, Electio, majorem habet efficaciam ad malum quàm ad bonum,

Fidei redintegratio majorem ad bonum, quàm ad malum.

Ideò,

Hæc præeligenda & major, ejus ad bonum efficacia,

Ante duo illa priora,

Quorum efficacia major ad malum, minor ad bonum.

Subvenire tempestati sapientis est,

Eoq; magis,

Si plus adipiscare, ne explicata, boni, quàm addubitatâ, mali.

Fugiendum,

Ne Imperium sine caussa offeramus damnis,

Quo nihil esse potest imprudentius;

Imitandi in vitandis malis *Medicorum mores*,

Qui caussas morbi de corpore removent, ne in morbum incidat.

Cavendum,

Ne *Aureæ Bullæ* spiritu sveto magis, quàm in præsens utili,

Quæ,

Quia nihil peccatum tunc erat, quod legem induceret,

Nihil quoq; de istis præliminaribus aut capitulationibus cavit

Patriæ malum,

Quod observatâ pacis normâ avertere possumus,

Eâ neglectâ arcessamus.

Recidunt

Recidunt huc cuncta.

Aut,

Revocandæ ex Italia, Flandria, Polonia, Bremerfordâ, Copiæ,

Idq; dandum,

Reverentiæ Imperij, juratæ fidei, publicæ tranquillitati, propriæ saluti,

Quod longè gloriosius,

Quàm fortè necessitati.

Aut,

Secus facturo, ante-habituro Germaniæ Poloniam, Hispaniam,

Soli cum Galliæ & Sveciæ Regibus,

Cernendum.

Imperio quieto,

Nisi ex juratæ Pacis lege ligato,

Quam quisq; sibi scripsit paciscens,

Communia ferendi arma contrà contraeuntes pactis.

Ipsas quidem contraitionis caussas,

Quas

Alius *ex societatis*, alius, & fortè fortiores, *ex Pacis fœdere*,

(Nuperâ *cautæ lege vetante, quæ jubente potentior est.*)

Putat habere justas,

Nunc mihi *neq; confirmare argumentis, neq; refellere in animo;*

Minus facto invidiam, neq; perfidiam, neq; injustitiam addere;

Quia,

Confessione talium ad concordiam veniri non potest,

Si quod horum est,

Christianâ Christianorum utrinq; Regum bonitate

Publicis condonandum utilitatibus.

Secus,

Imagine Pacis, specie amicitiæ, decepta Germania,

Pacem sine dubio habebit cruentam.

Hic,

Uno atq; altero hærentibus,

Magno reliquorum EE. assensu celebrata relatio est,

Sine ira & studio

Deposita æquas omnium ad aures, & aras,

Fidei, Pacis, ante Capitulationem, Electionem, redintegrandæ.
Illi,
Sibi primo invicem insusurrantes, mox obtestati propalàm;
Se
1. Ad Electionem, non ad pacis inter Reges compositionem,
Accitos,
Nunc verti ad aliena negotia;
Novo magis exemplo, quàm concesso jure.
Nullo è Republica.
Et cum formidine pœnæ ab A. B. dictæ.
Hâc non excusandâ posteris novandi cupidine,
Infringi leges Imperij, inferri damna Imperio,
Exponi exterorum arbitrio Capitulationis arbitrium.
Galliæ Regis querelam allatam, non probatam,
2. Ab Imp. p. m. ac Imperij Deputatis auditam,
Repertam invalidam.
Vel imputandi contraventionem pacis Imperatori,
Vel morandi Electionem Imperatoriam,
Vel linquendi diutius defectum capite Imperium,
Donec coalescant Reges,
Medijs Pacis Oratoribus Papæ, Venetorum,
Non coaliti,
Monasterij, Parisijs, Divoduri,
Parte Exercitus Cæsarei,
3. Diu suis in provincijs non sine provincialium onere habiti,
Exauctoratâ ab Hispano acceptâ,
Nec pacem fractam, nec faciendam inde redintegrationem,
Nec sufflamminandam Electionem.
Hancnè tenendam in suspenso,
4. Gliscente Galliam inter & domum Austriacam discordiâ.
Aut suspicione inclinantis in Austrium Electionis?
Adhuc incertæ, & alioquin contra EE. libertatem,
Unum semper unam intra domum quærendi Imperatorem.
Gallis & Austriacis tot hactenus annos in inimicitiâ flagrantissimis,
Nullam tardatam, Imperatoris Electionem,
Ne quidem Caroli V. hostis quanquam professi Francisci I.

Tùm Rhenanorum finibus EE. æquè propius imminentis,
Galliæ Regem, citra majorum exemplum, intendere,
Intercedere Electioni, præscribere Electionem.
Interserere exitiosum Imperio interregnum, Germaniæ ruinam,
Labefacere Electorum præeminentiam.
Se jam prævidere,
Hoc ex Electionis interjectu,
Vel suspensæ, vel ad dubium pacis eventum remissæ,
Nascitura mala Electionis internicina.
Electorem quidem Moguntinum,
Hoc Electionis spatium veluti paciscendi medium obtulisse Gallis,
Sed vago dimissum responso,
Secretiori alijs aperto,
Se paciscendi cum Hispano non esse potestate munitos.
Idem de Hispaniæ Legato affirmare omnes,
Sed in absentem versum iri culpam omissæ Pacis,
Seriæ nec ne faciem Hispani adventus aperuisset.
Deniq;
Hujus fore Pacis arbitros,
Nuncium Papæ, Venetæ Reipublicæ Oratorem,
Electores nexu Conscientiæ intervenientes.
Utrum Papæ Nuncium, Parisiensem, an Francofurtensem?
Et istumne agendi validum?
Collegium verò Electorale suone, an omnium Imperialium DD. nomine
Ad quos codicilli Legatorum Galliæ relati,
Jure ne soluto, an subdito Papæ arbitrio,
Interventurum?
Congruumnè EE. protestantium fidei subire conditiones Papæ,
Censuras, judicium?
Quam nam hâc ex pacificatione Electioni ante habenda habendam
potiorem spem?
In præsens, aut in posterum?
Licitumne EE. absq; Imperij consensu ullum Electionis actum,
Prævium aut Electorium submittere Papæ?
Se quidem non iniquos
Juvandæ Regum pacificationi, at Electione peractâ,

Aut jam incipiendæ ante Electionem, perficiendæ post Electionem.
Hoc videri iniquum,
Electionem ad illius normam exigi,
Electioni certæ, vocationi divinæ, dubium pacis exitum præferri,
Electionis jus in exterorum obsequium, libertatem in alienum arbitrium,
Electoralem dignitatem in præceps, Imperium in ruinam dari.
Hîc *Quidam*,
Vir sanè cordatus & erectus, totus pro Pace Imperij,
Ex parte Moguntini E.
(- - - *sedatâ mente loquentis*,
Urgeri pudorem suum, suam totâ de re sententiam,
Intempestivè prorsus,)
His talibus *occurrendum è Republica* ratus.
Primò,
1 Anteire quemlibet actum prævia quædam:
Acciri primariò ad illum, non ad ista, quippe temporaria:
Nec spernenda tamen,
Quîs sine sæpè labant negotiorum prima.
Heri & hodie Electores accersitos ad Imperij Comitia,
Ipsis pòst in Comitijs illectos ad Regis Roman. Electionem;
Servandæ Pacis, fideiq; negotium non esse ab Electione alienum,
Imò per pacta Monaster. hodiè connexum præviæ Electionis consultationi
Tutum prorsus istius pararium pragmaticum,
Eum,
Qui sibi de pace secum initâ sanctius cavere vult,
Eos,
Qui sine dolo malo cavere volunt,
Eligendum,
Qui conceptam cavendi formam præstare debet,
Hoc Electionis prævio juvari, firmari summopere.
Electores verò,
Non prius benè apud se pensitato,
Quam per partem stet, pacem non dari orbi Christiano,
Summopere periclitari,
Concessuros in illius partes partis, quæ tantorum rea malorum,
Pœnâ potius, quàm præmio digna auxiliario.

Huic periculoso errori præcavendo,
Præstruendam prudentem partium dilectionem,
Non præcolendam ancipitem electionem.
Integro interea ubiq; Capitulationis, Electionis jure, arbitrio.
Exterorum Nemini dato, à nemine sumto.
Reges quidem esse exteros, sed bella eorum afflare proximos,
Ordines Imperii præcipuos, Austrium maximè,
Cui illicitum sua cum alterutro bellantium consociare arma,
Intutum aliis utrosque bellantes diutius prospectare,
Ergo,
Mediis illis, nobisque, quibus cum utrisq; Pax est,
Virosque tandem pacari,
Et orbis Christiani contra suum hostem, & Austrii, & nostrâ interest.
Hoc prævium, necessarium magis, quàm novum.
Inter exempla erit, optima, quod hodiè inter non exempla refertur.
Pacem facere, reficere fidem promovendæ Capitulationi, Electioni,
Benè ac sapienter factum;
Electoribus gloriosum, Imperio utile, legibus Imperii & licitum, & magni meriti opus.
Quibus hoc prævium nec prævisum, nec invisum, nec contra provisum.
Hæc talia, ut consilia, ut rerum pretia, *sunt temporum*.
Secundò
Arbitrari de Regum factis, Regum esse,
Aut,
Qui Regum faciem & autoritatem secum peregrè ferunt,
Legatorum.
His, propriâ quanquam in caussa testibus, creditur tutius,
Quia creduntur & ipsi factorum momenta nosse penitius,
Maximè eadem ab ijsdem publico Orbis exposita judicio.
Querelam Galliæ damnum passæ damnô dato expressam,
Ipso probatam facto, verbis non probandam ulterius;
Imperatori auditam tantùm, non lenitam,
Invalidam à quibusdam Austriæ obnoxiis,
Non habitam à reliquis Imperii Deputatis,
Apud plerosq; convictam pacis contraventionem,
Ante omnem Electionis actum reficiendam,

Hanc quoq; esse communem omnium opinionem,
Ejus,
Qui pro pace, & ex pacto pacis, quàm qui contra claros ejus radios tendit,
Qui pro servanda sibi fide agit, quàm qui læsam elevat,
Qui de damno dato queritur, quàm qui dandum quærit, datumvè negat,
Qui de vitando eodem, quàm qui de lucro captando litigat,
Caussam esse meliorem, favorabiliorem:
Contrà,
Odij plenum quemcunq; rupti prætextum federis,
Graviorem, quò omissu faciliorem, commissumve contra legem vetantem,
Eum quoq; omnem,
Qui jus pace quæsitum impedit Gallo,
Non, qui repetit, Gallum,
Impedire jus Electionis, viduare Imperium capite,
Quia,
Nisi Gallo restauratum Pacis jus inserendum Capitulationi,
Nihil reddit tutum jus Electionis & electi Capitis liberum.

Alterum pariter Pacis inter Reges negotium,
Quod liberius habet spatium,
Quod hactenus neq; hic & illic potuit, quodq; olim potuit,
Posse fieri hodiè,
In ipso hoc Electionis interjectu:
Subitis sæpè momentis injectum Regibus vinclum & philtrum Pacis,
Ludovico XII. & Ferdinando Arragonio,
Medijs vel nuptijs, vel amoribus, vel amicitijs, vel tertij odio:
Carolo V. & Francisco I.
Interpositis Cameraci meritissimis Dominis matronis,
Ludovicâ Francisci matre, Margarita Caroli amita;
Heinrico IV. & Philippo II.
Vervinianâ medicinâ Medicis Alexandri Florentini Cardin:
Ludovico XIII. Philippo III. & Sabaudo,
Querasij, & Mireflorij,
Conciliatore Mazarino maximo Ecclesiæ Cardinale, & cardine Galliæ,
Ergo nec hodiè,
Ni sperandam, non desperandam Pacem,

Tentan-

Tentandam,
(Hoc enim quid nocet?)
Ludovicum XIV. inter & Philippum IV.
Forsan jam *Hora DEI venit*,
Hic potius, quàm alibi, nobis, quàm aliis, concurrentibus, concurantibus,
Largituri
Regibus Pacem, Imperio Imperatorem, omnibus lætitiam.
Nec pacis opus isthoc audentibus arduum;
Gallia obtestante,
Se velle, imò cupere pacem,
Hispaniâ certè ejusdem indigente;
Eâdem Madritij non exasciata tantùm, sed penè conclusâ,
Concludendâ hîc planè ac facillimè,
Electoribus,
Non tàm medijs curatoribus, imò veris arbitris;
Æquo quorum arbitrio,
Parte alterâ non parente,
Junctis cum parente parte communibus minis, viribus, armis,
Coercendâ.
Utendam nunc hâc tàm opportunâ occasione,
Cogendi obnitentes paci:
Secus,
Electores, Imperii, pacis, custodes & administros,
Peccaturos
In Christianam tranquillitatem, in bonum Imperii publicum.
Tertiò;
Hanc hodierni usûs, & quotidiani sermonis disputationem esse,
An facto Cæsaris pax rupta censeatur.
Videri,
Probatâ querelæ justitiâ, satis probatam ruptæ injustitiam;
Collegium nisi *Fecialium*,
Talium quæstionum *gnarum, & arguendarum peritum*,
Suis ex notis ruptam ostenderet,
Facto contra id quod omni paci inest,
Illatâ vi bellica alteri per alterius latus,
Ubi nulla nova subest caussa:
Facto contra amicitiam, sub cujus lege pax contracta est,

Post

Post reditum in gratiam, si quid est commissum,
Id non neglectum, sed violatum putatur,
Nec imprudentiæ, sed minus bonæ fidei assignatur.
Facto contra id, quod in pace apertè dictum est;
Ne ullo prætextu alter alterius hostem milite juvet;
Ergò,
Nec manifesto missu copiarum pro Duce Mantuæ auxiliarium,
Nec prætextu exauctorati & ab Hispano accepti exercitus,
Hoc est,
Brevi, ut ajunt, manu tradidi.
Exauctoratus exercitus, est stipendio, sacramento, autoritate, quâ continebatur antea,
Nunc solutus, & liber, nec amplius miles,
Palans hominum multitudo sine stipendio, duce, tessera, nomine.
Exercitus,
Eodem spiritu, una autoritate & capite, diverso quanquam sub tegmine, novovè stipendio,
Integer ad suum ferè alterum, præsentem & accipientem, delatus,
Manentibus ejus notis,
Manet exercitus paratus, non exauctoratus,
Auxilio sacratus:
Facti manifestâ intentione, intentionis eventu.
Acceptus, non est lectus, novusvè conscriptus, exercitus.
Hic,
Ne quidem ex necessitate, aut vi majori, aut vetustiori amicitia, vel clientelâ,
Quisquam excusatur.
Major est pacis, quàm societatis, religio.
Illius sanctimonia sollicitè servanda, cavenda minima quæque,
Quæ paciscentium amicitiam ex inimicitiis revocatam exasperent.
Major multò paciscentium, quàm sociorum, feudaliumvè fides,
Tam conscientiæ, quàm famæ quâ regni stat autoritas, ratione.
Doctrina,
Quæ Reges Regibus insociabiles facit, fidemve Pacis elevat,
Diu prodesse nequit.
Ne quidem usus ejus laudatur aut colitur apud Barbaros,
Ratos,

Ne

Ne deditione sponsorum violati fæderis causam expiari posse.

Electores,

(Mutatis saltim loci personæ momentis, cetera paribus,)

Miremur an imitemur Cl. Pontij Samnitium Regis, orationem,

Coram dedente sponsores Feciale Populi Romani feditragi,

Quasi sic impio soluti crimine

Asseverantis.

Nec ego istam deditionem accipiam, nec Samnites ratam habebunt.

Quin tu, Sp. Posthumi, si Deos esse credis,

Aut omnia irrita facis, aut pacto stas?

Samniti populo omnes, quos in potestate habuit,

Aut pro ijs pax debetur.

Populum Romanum appello,

Quem si sponsionis ad Furcas Caudinas factæ pænitet,

Restituat legiones intra saltum, quo septæ erant.

Nemo quenquam deceperit;

Omnia pro infecto sint;

Recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt:

Redeant in castra sua.

Quidquid pridie habuerunt, quam in colloquium est ventum,

Habeant:

Tum bellum & fortia placeant consilia.

Tunc sponsio & pax repudietur.

Ea vero fortunâ, ijs locis,

Quæ ante pacis mentionem habuimus,

Geramus bellum.

Nec populus Romanus sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus.

Nunquam ne caussa deficiet,

Cur victi pacto non stetis?

Obsides Porsenæ dedistis, furto eos subduxistis;

Auro civitatem a Gallis redemistis;

Inter accipiendum aurum cæsi sunt.

Pacem nobiscum pepigistis,

Vt legiones vobis captas restitueremus:

Eam pacem irritam facitis,

Et semper aliquam fraudi speciem juris imponitis.

Hoc fide, hoc federibus, hoc fecialibus cerimoniis dignum;
Vt tu quidem, quod petisti, per pactionem habeas,
Tot cives incolumes,
Ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam?

Quartò.

Galliæ Regis studiũ pacis cũ Hispano ineundæ cũ Imperio initæ conservandæ
Nec liberæ Electioni, nec Electorum dignitati, nec saluti Imperii obversum,
Utriq; obvium ac pronum,
Nemini in Imperio incognitum.
Rex Galliæ Pacis, quàm belli studiosior,
Solus afflictorum liberator est Principum,
Qui
Olim ac nunc & semper consilio *favit* & auxilio,
Libertati, fortunæ, incolumitati, *ac Paci Germaniæ*,
Ille non intendit eidem nec intentat ruinam
Adversa, *jactatis* sorte *Principibus Germaniæ*,
Ille non labefacit eorum statum,
Electioni liberæ & ab omni parte congruenti A. Bull.
Ille nullum Electioni nullum A. B. injicit nexum!
Fidei ante Electionem, ac bono Electionis, *sibi restituendæ*,
Ille non imponiit modum Electioni iniquum,
Obstaculis Pacis, Capitulationis, Electionis, *removendis*,
Ille non jacit n interregnum mala semina.
Nec contra sunt omnibus nota *experimenta*,
Principum Germaniæ concitorum Ulmæ cIↄIↄcXX,
Pacis angelo *Angulemio Duce* Galliæ legato compositorum;
Motuum in Imperio gliscentium *sopiendorum*,
ectorum Imperatoris ad obsequium, ad avitum patrimonium *Palatini*,
Retrahendorum;
Transylvani & Ungariæ *primorum*,
Ejusdem legati operâ cum Imperatore *consociandorum*,
Ognati Comitis Hispani contrariâ dissociatorum.
Indutiarum in Imperio *curandarum*
Cura *Marchevillani* Regis ad Bavarum & Treverum legati,
Bono ejusdem Germaniæ tum labantis;
Eorundem Germaniæ Principum opem implorantium regiam,
Desolatorum *solandorum*
Studio ad Imperialia *Ratisbonæ* missi comitia.

Eorundem Lipsiani federis Principum *redintegrandorum*,
Sollicitudine *Fequerii* ad conventum *Heilbronnæ* legati
Istorum planè ad Nordlingam penè devictorum,
Magno Regis Galliæ subsidio *assertorum*,
In bona, libertatem, istam hanc, quâ fruitur Germania, pacem;
Sic etiam,
Nuperæ Ferdinandi IV. electionis, per Galliæ Regem, prorsus liberæ,
Nec minus præsentis,
Eligant, quem censeant idoneum,
Sine, ut ipsi ajunt, unius studio domus,
Modò sibi de fidei restitutione, pacis securitate idoneè caventem;
Tutiorem quanquam fore Electionem, Imperii salutem,
Electione quidem non in longum, aut in inimicitias quasi dilatâ perpetuas,
Perpetuò, quod Deo placet, non duraturas,
Pace tamen illâ antè constituta, hâc restauratâ,
Affirmant omnes,
Galli, Hispani, Germani:
Nescit nemo,
Quanto,
Pace Carolum V. inter & Franciscum I, & Heinricum II. neglectâ,
Celerata Caroli Electio,
Post constiterit Germaniæ Principibus, Electoribus ipsis,
Saxoni, Palatino, Hasso, aliis,
Galliæ Regis ope levatis,
Manifesto in præsens documento
Mali ex non pacatis, boni ex pacandis ante Electionem Regibus.
Ergò
Paria hodiè ex properatâ nasci possunt,
Electione ex suspensâ, benè expensâ, pace fideque firmatâ, non possunt.
Qui aliter prævident, parùm vident.
Hoc quidem non dicunt Galli, nec id perinde ac pacem æstimant,
Dummodo illa sit illis cum Imperio secura;
Sed dicunt & vident id ipsi Germani.
Quintò.
Electorem *Moguntinum hujus* seculi Janum,
Ex præteritis præsentia, ex his speculantem futura,

Benè præviso,
Pacis Instrumento Capitulationem, hâc Electionem, Electum utriusq; fide
Iri constrictum.
Cuncta hæc,
Totius negotij fundamenta Electorij,
Quo fierent sincerius, æquius melius, & è Republicâ,
Censuisse,
Exstergendam ante omnia illatam Paci *labem,*
Ex unâ parte;
Parte ex altera,
Pacis consortibus Galliæ & Sveciæ Regibus de illâ conquerentibus,
Exprobrantibus,
Non vicem beneficio exsolvi,
Damna damnis continuari,
Omnes annos motibus insigniri;
Unicum illud suum,
Quod ex pactis Monasteriens. *præcipuum* credebantur habere,
Ne hostes suos præsentes & futuros Imperator, ullusve Imperii status ullo modo ju
Nunc non haberi integrum;
Austrium ex ijsdem pactis habere tot sibi redditas urbes;
Pacem,
Quam cum eodem inconcussam credebant,
Hactenus sibi fuisse *iniquam,*
Haut minus, quàm bellum timendam;
Contra Austrio utilem:
Tandem *consulendum læsis,*
Rem præcipuè petentibus æquam & inæstimabilem,
Pacem,
Sinceram, communem, universalem,
Cum
Hispanis, Danis, Polonis:
Quorum bono Pacem ab Austrio obliquari,
Per eorundem latera peti Gallo-Svecica;
Gallis præcipuè,
Hactenus non fuisse, nec in posterum fore tutam,
Monasteriensem Pacem, amicitiam Austriacam,

Nisi cum Hispanis simul pactum sit;
Remq; Madritij penè confectam, nunc penitus conficiendam,
Et in hoc celeberrimo Europæ conventu concludendam.
Ergò,
(*Quia melius est, non amplius queri, quàm vindicari.*)
Electorem *Moguntinum* Pacis & Imperij studiosissimum,
Benè ac tempestivè,
Ipso hoc durante Electionis interstitio,
Mala ex perpetuis Regum bellis tandem in Imperium redundatura,
Avertere nisum & cratum,
Præcipuorum voto Deputatorum Pacis amantium,
Oblato exasciatæ inter Reges penitus perficiendæ *Pacis ministerio*;
Quod *ultra mortale gaudium* à Galliæ legatis *acceptum*,
Non minori circumdatis mandato,
Parandæ cum Hispano, quàm reparandæ ab Austrio Pacis.
Quippè
Ex aurea Theodorici Gothorum Regis sententiâ,
Omni regno desiderabilis debet esse tranquillitas,
In qua
Et populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur:
Hæc est omnium bonarum artium decora mater;
Hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans,
Facultates protendit, mores excolit;
Et tantarum rerum ignarus agnoscitur,
Qui eam minimè quæsisse sentitur.
Sextò.
Reliquas sollicitudines aut supervacaneas, aut nimis esse curiosas.
Nil interesse pacis,
Uter Papæ Nuncius sit internuncius Pacis;
Parisiensis an Francofurtensis.
Cujus pacificas audire & subire conditiones,
Nec grave conscientiæ Protestantium hîc Imperij nomine intervenientium,
Nec reliquorum EE. dignitati indecorum.
Quippè,
Pacificatio ista est actus regionis, non religionis:
Regis Christianissimi cum Archi Catholico Rege,

 Con-

Consanguinei cum consanguineo,
Est pactio profana, non sacra, politica, non ecclesiastica,
Cujus vel paganus, vel recutitus idoneus reconciliator;
Est negotium Electionis prævium, non electorium;
Extraordinarium, non ordinarium.
Orbi Romano & Christiano utile,
Magnum Electionis adjumentum, non turbamentum.
Quin imò,
Ne quid conficiundæ inter Reges paci obturbet,
Manifesto *libertatis Gallicæ argumento,*
Pulcherrimo Pacis *augurio,*
Totum hoc Pacis negotium ad unicum Electorum arbitrium collatum esto,
Eâ lege,
Ut æquos eorum subeunti pacis articulos,
Illo Imperij robore subveniatur,
Quod potest coercere non parentem.
Evalescere visa relatio ad Pacem,
Ad cujus officia Electores vel illi proniores,
Qui anteà obnitebantur.

X.

Octavum & ultimum præviæ Consultationis caput,
De imponendo *veluti freno potentiæ imperatoriæ,*
CAPITULATIONE,
Lege vulgò Regiâ, Regibus scribenda, & olim solita scribi,
Incorrupto Majestatis honore
Opus hodie sententijs discors, & numerosum;
Laboriosum Electoribus, Electo onerosum,
Imperio fructuosum,
Primo ac præcipuo ejus sanctore Moguntino,
Communi omnium EE. consensu,
Tempore Maximiliani II.
Certa de caussâ
Ne Elector quidem Bohemiæ Rex pangendis interfuit capitulis;
Pacta notuére eidem uno ac altero ante Electionem die.
Nuperam ante Ferdinandi IV. p. m. Electionem,
Reliqui Ordines Imperij Ratisbonensibus in Comitijs,

Quædam,
Nunc ijdem Francofurtensi in conventu,
Fortè sexcenta contulerunt capita,
Hæc inserenda, illa eximenda, ista aliter ordinanda,
Dubio procul censuerunt, consuerunt.
Carolo quondam Quinto XX. ll. scriptæ;
Ferdinando II. XLIII.
Ferdinando nuper IV. XLIIX.
Quantæ ac quales hodiè Eligendo scribendæ?
Satis constantes ac validæ
Adversus ingruentia,
Fidei irreverentiam, ambitũ, vim, dominationem, externam federum molem,
Quin etiam,
Id, quod nunc præcipuum hîc ac difficillimum, sciscendum est,
Quâ jurisjurandi religione religandus sit Eligendus,
Cujus reverentiâ jurans nulla jurijurando adversa agere.
Cujus juratâ fide Imperium securè inniti queat,
Reges præcipuè læsi, quibus cum Imperio Pax est.
Quam summi hominum rectores tantò sanctius præstent,
Quantò ceteris impuniùs peccant.
Fide sublatâ, feris erunt similes.
Olim,
Jusjurandum per Stygem erat omnium firmissimum,
Quo se jurantes divorum consortij epuliq;
Hoc est,
Interprete veterum sapientiâ,
Reges ac Principes,
Si fallant fidem,
Se regnorum, provinciarumq; expertes devovebant,
Quasi solitam, non solidam Regum fidem,
Nisi inligatam excidio malam, bonam incolumitate regni.
Aut,
Eligendo illi conditionum nexus injiciendi,
Quibus solutis, solutus ille Imperio,
Omnes in soluti ultionem, ruinam.
Aut,

Eligentes

Eligentes, Imperio, &, quibus cum Imperio Pax est, Regibus.
De bona eligendi fide caveant,
Vel datis idoneis Imperij pignoribus,
Vel consociatis suis contra Electum infidum viribus
Vel electo advenis & indigenis fido, grato,
Exterorum federibus, Imperio gravibus, soluto,
Quod ipsis EE. liberum planè, ac Imperio utile est.
Quibus constat,
Tales ad imperiale sacrum eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri.

XI.

Hæc inter
Quorundam Imperij Deputatorum,
Suorum nomine Principum, salvo aliorum addituorum, ad dendorumve spatio,
Illæso PP. EE. jure,
Reverente relata sermone monita quædam,
Ad Reverend. & Sereniss. Electorale collegium,
Capitulationi Ferdinandi IV. vel illustrandæ vel augendæ;
Ab E. Moguntino coelectoribus audiri rogatis legi jussa.
Quorum præcipua ista:
Inter Instrumenti Pacis Articulos
1. Aureus octavus firmiter, & religiosè servandus, observandus,
Nullo infringendus prætextu
Publicæ vel necessitatis, vel utilitatis, vel periculosæ moræ.
2 Nullus Imperij status à jure suffragij & sessionis secludendus,
Nullum ab Imperatore futuro Imperialibus de rebus fedus pangendum,
Sine comitiali omnium Imperij Ordinum consensu,
Nullâ prætereundo de caussa publicæ etiam salutis.
3. Federa futuri Imperatoris suis de rebus ad normam Instr. Pacis exigenda,
Citra omne Imperij damnum ineunda.
Facta cum peregrinis ante aditum Imperium abolenda.
4. Nulla in posterum permittenda sine Imp. statuum consensu alienatio rerum Imperialium,
Jam alienatarum cognitio ad Ordines Imp. referenda.
5. Nullum bellum, imperiale, aut provinciale, inchoandum,

Ordinibus

Ordinibus Imperij inſcijs, nec conſentientibus.
Cæptum pro imperio imperiive circulo ad præſcriptum J. P. gerundum,
In omnibus,
In Germano Duce, tribunis militum, militari conſilio utriusq;
religionis deligendo.
In ſcribendo, hoſpitando, extra Imperij fines, citra Imperij nutum,
non ducendo milite,
Conducto defendendis imperij afflictis:
Parta bello, ſervanda jure proprio Imperatori, & Imperio:
6 Nullus ab Eligendo cogendus quaſi pro Imperio exercitus,
Niſi ſubſidiario provinciarum ſuarum nomine debitus Imperio,
Neceſſitate ingruente:
Nullus ab eodem, nec ejus permiſſu, miles peregrinus in Imperium
ducendus;
7 Nulla ab eodem regna, provinciæ, peregrè accipienda,
Acceptis, ipſe Imperij, Imperium obſequij vinculo ſolvendum,
Eligendus pro EE. arbitrio alius,
8 Facienda ab eodem pax in & extra Imperium, firma, ſecura, conſtans.
9 Revocandæ alibi ſparſæ militares copiæ, habitæ domi non neceſſariæ,
exauctorandæ.
10 Colenda ab eligendo cum exteris amicitia indiſcreta & innoxia.
Alter ab eodem contra alterum nullo prorſus modo juvandus,
11 Danda Ordinibus Imperij contra Imp. neceſſaria experiundi juris facultas,
In cognoſcendo, exſequendo,
Ad formam Imperij ac Pacis Inſtrumenti.
12 Tributa, onera Imperialia, non niſi in Comitijs, omnium conſenſu,
imponenda,
Locis ſolitis certos per curatores recipienda;
Reſidua, novam ante indictionem, exigenda.
13 Reddenda ab Imperialis ærarij quæſtore juſta in Comitijs ratio.
Nullus Imperij ſtatus à tributorum onere eximendus;
Debitum ſubſidium quâcunq; exemtionis ſpecie recuſantes, aut tardantes,
à ſeſſione & voto ſeponendi.
14 Vectigalia nova non concedenda, nec antiqua augenda, proroganda,
Non auditis, quorum intereſt, vicinis per ea læſis,
In poſterum ſuper eorum auctu audiendis;

Nova concessa rectè ordinanda, ne sint juribus Electorum noxia:
Belli licentiâ absq; EE. consensu aucta, abolenda:
Nulla esto in posterum mercium in terras iniqua exoneratio,
Esto cuiq; liberum ordini ea se, quâ possit, exonerandi.
Nihil in navigabilibus, ac ne rescripto permissum imperatorio, faciendum fluminibus,
Juribus Electorum damnosum.
15 Relinquenda Cameræ Imper. concurrens caussis in vectigalib. jurisdictio.
Inhibenda ibi jam pendentium ad curiam imperialem avocatio.
16 Nullus Imperij status, criminis quanquam manifestus, proscribendus,
Inauditus, indefensus, sine communi statuum cognitione;
Nec, nisi ijsdem arbitris, revocandus.
17 Jus cudendæ monetæ nunquam habitum, aut abusu aliove facto amissum,
Non iterum indulgendum,
Citra Imperatoris & Electorum consensu usurpatum,
Indictâ interdicendum pœnâ.
18 Nulli veredariorum curatores non obnoxij EE. PP. civitatum jurisdictioni, ipsis ingerendi.
19 Nulla rescripta, indulta, commissiones, mandata publicanda,
Contra jurata A.B. Instrum. Pacis, præsentis capitulationis capita.
Nec, in domus olim imperatoriæ favorem concessa, usurpanda.
20 Imperiale homagium non est faciendũ ab imperatore suæ domui propriũ.
21 Imperiale Imperatoris consilium ex utraq; religione componendum,
A secretiori suo distinguendum consilio.
22 Deligendi imperiales Consiliarij pij, justi, boni, experti,
Nullius, nisi Imperatoris & Imperij servitio addicti.
23 Imperialibus muneribus Principes Imperij, alijq; genere & genio magni, dandi,
Non danda cuilibet è trivio, viatori aut victori, munera imperialia.
24 Consiliarijs in aula Imper. imperialibus, alijsq; ibi agentibus,
Concedendum religionis exercitium undiquaq; liberum,
Liberq; recedentibus commeatus.
25 Imperiale aulæ Cæsareæ consilium ex EE. PP. CC. sententia ordinandum,
Ab Archicancellario Germaniæ Moguntino visitandum,
26 Causæ Imperij & Justitiæ, secretiori sacroq; Imperatoris consilio non committendæ.

Process

27 Processus juris, ante expeditionem, in Imperialium collegio Consiliariorum revidendi.
28 Non est conferenda in Comitijs sessio, aut votum, nec ullo decernenda rescripto,
Ad principis, Comitis, Domini, dignitatem evecto:
29 Nemo, nisi Principatu, Comitatu immediatè imperiali ornatus,
Oneratus certa certo in circulo collatione Imperiali,
Et caussâ ritè cognitâ,
Nec sine principum & Comitum consensu,
30 In collegium principum, Comitum, votum ac sessionem recipiendus.
Hæc in talia, aliaveq; in pacis, Imperij Instrumentis acta, agenda in Comitijs
De Constanti Cæsarea Capitulatione,
Eligendus juret hac formula;
Hæc omnia, vel horum minima, suopte, alteriusve instinctu,
Ni Sanctè servet Imperio,
Nec sibi servet Imperium, nec Imperium ipsi homagium.
Nec Electores Electum,
Statim electuri alium ad A.B. normam,
Ad majorem servandæ fidei memoriam,
Electionis libertatem, Imperij incolumitatem.
XII.
Elector Moguntinus,
Indefessus labore
Audiendi subeundas imperaturo conditiones,
Mihi, inquit, videtur,
Salvo meliorum judicio.
Ut in ceteris, sic in istis legibus ferendis eum tenendum esse modum,
Ne nimiæ, ne minimæ sint:
Mediæ, modicæ, optimæ:
Quæ nimium temperant imperaturum, nec coercent ut minimum,
Salutem Imperij sitam,
In præumbrante imperaturi fastigio, non in imperantis umbra.
Placuit sententia uni atq; alteri.
Alijs,
Eligendo scribenda Ferdinandi IV. Capitulatio,
Additis

Uno atq; altero Deputatorum monito,
Solito hactenus juramento.
Pluribus secus sentientibus;
Leges esse temporum, ad seculi mores, imperitantium ingenia, exigenda,
Corruptissimâ Republica, plurimas,
Nunc, ut est, necessarias;
Capitulationem Ferdinandi IV. esse quidem retinendam,
Sed hîc & illic, ubi hactenus peccatum, emendandam:
Augendam his ipsis XXX. articulis,
Hac jurisjurandi religione,
Amittendi statim Imperij, omissâ læsave fide Imperij,
Hîc Moguntinus E,
Expenso,
Majora hoc in collegio valere suffragia,
Securiora debere valere,
Præterea,
Nisi indigenis de pace, exteris de eligendi fide rite caveatur,
Longius & intutius Imperio fore interregnum,
Imperij Ordinibus liberum,
Ex instrumento quidem Pacis,
Fovere, quas velint, partes, pro pace Imperij,
Imperatore nullo, offenso nullo,
Austrio hactenus ut imperatore formidato,
Nunc pari reliquis Imperii statibus statu præ reliquis non formidando,
Omnia in pejus ruitura,
Sciscebat,
Emendatam, illisq; XXX. articulis, illo juramenti vinculo septam
Communi Electorum Imperij Ordinum consensu,
Concipiendam Eligendo subeundam,
Capitulationem.
Futuræ simul ac Electioni præstruendam legem,
De valituris in ea majoris partis suffragijs,
Electorum, non eligentium,
Nisi, ut collegium, eligentium.
In collegio major pars spectatur,
Nisi majoris suffragia partis noxia sint,

Vel cuidam Imperij consvetudini, vel ipsi imperio.
Moguntinus Elector,
Propitio Numine,
Hos prævios, difficillimos sanè, eluctatus labores,
Jam festinabat Electorios.
Quippè,
Vtile est unum semper eligere, cui reliqui debeant obedire;
Quia,
Si voluntas diversorum vaga relinquitur,
Confusio, culparum amica, generatur.

*

Interea dum procedunt Electorij,
His, si placet, utere prævijs,
Pro Imperio, non contra Imperium,
Æquo judicio, sine partium studio,
Nullo affectu, nullo in inscribentem odio,
Totum pro Imperio, totum pro pace Imperii.
Elaborantem gratis, sed non ingratis imperij civibus;
Nec sine quâdam quorundam forsan offensâ:
Verum,
Sat ipsi mercedis ex recti conscientia facti,
Patriæ Pacisq; studio,
Cetera, mancipato nemini.
Æquum quanquam,
Magno & idoneo teste Theodorico Rege,
Vt unicuiq; proficiat suus labor,
Et,
Sicut expendendo cognoscit incommoda,
Ita, rebus perfectis, consequatur augmenta.
Augmentum patrimonij non sine labore quæritur,
Nec pecunia, nec beneficia sacra,
Nec honoris augmenta.
Stipendia longo sudore,
Imperij Salus Moguntini laboribus.

F I N I S.

AD

AD

CHE

Per totam

ANTON
Pari & Mareſch
Gubernatore &
arcis Sa
n

Ex Conſiliari
me

1. Pax pax polono-suecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 pax Germano-suecica Monasterii Westphalor. 24 Jan. 1648.
3 Pannonia perorata etc p. Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652